


1 + 2 / 87

IDIBVS FEBRVARIS  
MCMLXXXVII

---

---



---

RUMOR VARIVS

---



TOMUS 10

FASC. 63

# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA  
TVRICENSI in aedibus AKADis  
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos  
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	ÖS 140.--
In ceteris Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,  
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Udalricus Aeschlimann  
Martinus Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum  
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt  
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:  
Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-  
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem  
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal  
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	ÖS 140.--
Übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können  
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulrich Aeschlimann  
Martin Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)  
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

# PRÆFATIO

## Cari legentes

Inter homines ubivis terrarum habitantes sunt innumerabiles, qui Latinitatem etiam nostris temporibus semper current; magistri professoresque, qui linguam Latinam discipulos vel studiosos doceant; scriptores, qui opera sua Latine composita divulgent; cives cuiusvis linguae Latinae periti, qui Latinitatem olim in schola cognoverunt, nunc autem illam linguam pulcherrimam textibus Latinis legendis relegendisque memoria servare student. Multi autem eorum, qui Latinitatem tali aut alio modo colunt, se alicui societati Latinitatem colenti - tales societates conditae sunt in terris maxime variis - adsciverunt, quo facilius finem sibi propositum - servare Latinitatem - adipiscantur.

Quae sunt hae societates Latinae? Ubi terrarum sedem habent? Quantus harum numerus toto in mundo? Quot membra vel quot socios singulae suos numerant? Quomodo vel qua via uni aut alteri earum coniungatur?


Puto plurimos vestrum, cari legentes, duas saltem consociationes Latinas novisse: Alteram praeclarissimam notissimamque, SOCIETATEM LATINAM Saravipontanam, cuius praesides sunt Dr. Caelestis Eichenseer, Prof. Chr. Helfer, Prof. I.P. Bauer; alteram - numero sociorum inscriptorum multo minorem et multo recentiorem (tantum anno MCMLXXVIII° conditam) - nostram SOCIETATEM LATINAM Turicensem, quam moderare mihi nunc iam VII annos est opus iucundissimum gratissimumque.

Ut fama de variis societatibus Latinis - et iam conditis et fortasse adhuc in statu nascendi versantibus - melius divulgetur, omnium societatum Latinarum et iam florentium et futurarum praesides sive moderantes vel consocios rogo:

Mittite Rumori Vario, quaeso, nuntium de vestra societate Latina; indicite: quando condita sit, quot socios numeret, quos fines sibi proposuerit, quae suscipiat ad hos fines adipiscendos, qua via consocietas iis, quibuscumque intersit, efficiatur! Quod si feceritis, in Rumore Vario symbolis nobis missis novam seriem titulo "De societatibus Latinis" iniemus, qua singulas societas Latinas singulis fasciculis demonstremus. Quis nobis primus respondebit? Valete!

*G. Aeschlimann*

Udalricus Aeschlimann



## SEMINARIA "LATINITATIS VIVAE" ANNI 1987<sup>I</sup>

### MORSACENSE ET VESTENDENSE

42. Morsaci (Morschach) in Helvetia, qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum "Quattuor Regionum" situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur: 26./27.7. - 1.8.1987
43. Vestendae (Westende) in Belgica (ad litus maris harenosum), ubi pernoctatio victusque in hospitio communi relative parvo constant: 15. - 22.8.1987

Aliquod seminarium tertium "Latinitatis vivae" anno 1987<sup>o</sup> non instituetur, cum sub finem mensis Augusti (28./29.8.-1987) in Universitate studiorum Saraviensi "Symposium studiorum neo-Latinorum" habeatur.

Seminaria autem sermonis Latini exercendi et ampliandi suscipiet Dr. P.C. Eichenseer, Saravipontanus.

Antemeridianis horis (ternis) fient colloquiorum exercitationes et explicationes verborum (recentiorum) et disceptationes. Disseretur autem etiam, qua ratione Latinitati convenienti antiqua recentioraque satis congruenter inter se coniugantur resque recentissimae satis Latine verbis (circumspecte conditis vel condendis) exprimantur.

Postmeridianis horis (binis) fient exercitationes grammaticales et repetitiones materiarum ante meridiem propositarum vel occasiones praebebuntur propositionum et disputationum vel exercitorum Latine docendi.

Denique cottidie ab hora duodevicesima per quadrantem horae phonetice Latina tractabitur, cuius tractationis participatio omnino libera est.

Pro ipsa institutione unius septimanae 120 marcae Germanicae (occidentales) solvendae sunt, quae percuiae summa mittatur ad hanc sedem nummariam: VOX LATINA, 18353-661, Postgiroamt Saarbrücken, Deutschland

Hoc pretio non includitur pecunia pro habitatione et victu solvenda, quae summa separatim in singulis deversoriis vel hospitiis solvenda est.

**Morsacense seminarium Helveticum** qui participaturi sunt, mittant epistulas chartulasque interrogatorias nominaque dent definitive, si tardissime, usque ad diem 15<sup>um</sup> mensis Maii 1987<sup>1</sup>, ad Ericam Roth, Aeschistr. 6, CH-3110 Münsingen (tel. 031 92 08 23)

**Vestendense seminarium Belgicum** qui participare volunt, mittant epistulas chartulasve interrogatorias ad D.rem. Guy Licoppe, Avenue de Tervueren 76, B-1040 Bruxelles

Seminario Vestendensi sex septimanis ante initium, si tardissime, nomina danda sunt (definitive).

Societas Latina  
Saravipontana



SEDES STUDIORUM NEOLATINARUM  
UNIVERSITATIS STUDIORUM SARAVIENSIS

invitat

Latine doctos

ad

S y m p o s i u m

participandum quod erit

de incremento linguae Latinae  
post tempora humanismi facto

Quod symposium fiet

die Veneris, 28. m. Augusti 1987, et insequenti  
die Saturni 29.8.1987,

in oeco quodam Universitatis studiorum Saraviensis.

Singuli universi, quorum hoc rerum et quaestionum interest,  
enixe rogantur, ut hoc biduum sibi reservent liberum.

Invitationes separatae cum programmate definitivo  
ineunte anno 1987<sup>o</sup> exhibebuntur.

Quoad quaestiones et interrogations:

numerus telephonicus

(0681) 302-3392

Dr. Caelestis Eichenseer

Inscriptio cursulais:

Arbeitsstelle für Neulatein

Universität - FB 6.3

D-6600 Saarbrücken 11



DE MULIERIBUS VIRISQUE  
SANCTIS HELVETICIS

De Verena et urceo

Una cum Mauricio, Urso, Victore, Regula Feliceque Verena  
Thebas Aegypti reliquerat. Sed non cum ceteris Agaunum  
pervenit, cum iam Mediolani moraretur, ut aegrotos curaret.

At ubi de morte legionariorum Christianorum certior esset  
facta, statim in Helvetiam profecta est. Saloduri vivere  
voluit, haud procul a sepulcro Ursi et Victoris. Extra  
muros in spelunca quadam habitabat. Quicunque eo convenie-  
bant homines, eos adiuvabat. Parvulos lavabat atque  
pectebat; ideo semper pectine et urceo ornata depingitur.

Frumenti inopia ingenti instante miseriam lenivit divino  
auxilio: quadraginta farinae pleni sacci eius numquam  
minuebantur, etiamsi farinae copias distribuebat multas.

Hirtacus autem, procurator ille Romanus, qui iam Ursum  
Victoremque capitis damnaverat, non commotus est miseri-  
cordia mulieris sanctae. Quam capi et carceri inferri  
iussit. At ubi primum hoc scelus factum est, febri rapida  
est captus, quam lenire ne medici optimi quidem poterant.  
Iam morti obituro nuntiatum est Verenam sanandi esse  
peritissimam. Verena viri crudelis miserita morbum fugavit.  
Propterea Hirtacus ei libertatem reddit.

Tamen in speluncam redire noluit. Arura flumine navigavit  
mola pro navicula utens usque ad Confluentes, quorum  
incolae sanctam implorabant, ut se liberaret pestibus vicum  
semper cruciantibus.

Confluentibus liberatis Verena Tenedonem se vertit, cuius  
incolae sanctam bene notam magno cum gaudio exceperunt. Cum  
autem et molam in oppidum trahere vellent spe adducti eam  
sibi mirabili quadam vi adfore, robore superiore impedi-  
bantur, quominus eam a finibus Confluentanorum in ipsorum  
fines transmoverent. Hoc prodigio sunt admoniti, ut molam  
Confluentibus relinquerent. Verena autem sacerdotem Tenedo-  
nensem rogavit, ut ei serviens vitam concludere sibi

liceret. Sacerdos his precibus gavisus eam domui suaem praefecit.

At vir quidam improbus ac invidiosus sacerdotis aures implebat perpetuo verbis his: "Cave istam Verenam e nescio qua terra ingressam! Persuasum mihi est eam tibi clam de tuo aliquid furtim subducere!"

Sacerdos his verbis motus, ut Verenam probaret, anulum ei aureum bene custodiendum mandavit. Quod cum vir ille animadvertisset, anulum abduxit atque Rheni undis iniecit. Verena cum anulum nusquam reperire posset, lacrimis vix repressis sacerdoti se ornamentum hoc pretiosum amisisse est confessa. Qui nihil respondit, sed mente deliberavit, utrum reapse esset fur an non.

Nonnullis diebus post, ecce, piscatores piscem ingentem, quem ceperant, sacerdoti dono dederunt. Quem cum sacerdos cultro discerpisset, fulgens aliquid vidiit et nitens in ventre piscis: anulum!

Verena, quamvis omni culpa esset ita liberata, mundum tam fallacem relinquens in saltum se recepit. Ibi aestate summa confecta vita defuncta est et sepulta in ecclesiae Tenedonensis crypta, quae dicitur. Post quoque mortem eius multa ibi miracula esse facta et fieri narrantur. Et petunt hodie plurimi homines Tenedonem, ut balneis salubribus sanentur.

#### Vocabulorum explanatio

Agaunum: Hodie St. Maurice vocatur

Mediolanum: urbs maxima in Italia septentrionali sita  
(Milano)

péctere (pecto, pexi, pexum): capillos ordinare

pecten, -inis (m.): instrumentum, quo pectitur

urceus, -i (m.): vas quoddam figlinum ad aquam hauriendam  
et distribuendam aptum


mola, -ae (f.): lapis magnus ad terendum frumentum aptus

Confluentes, -ium (m.): vicus, ubi Arura et Rhenus confluunt (inde nomen!)

Tenedo, -onis (f.): oppidum Confluentibus vicinum, hodie Zurzach vocatum

discérpere (discerpo, discerpsi, discerptum): cultro aliquam carnem dividere in partes complures

Martin Meier



## De lupo et de septem haediliis

Olim vivebat capra vetus, cui erant septem haediliae, quas valde diligebat. Quodam die autem capra, cum ad pabulandum in silvam se conferre vellet, haediliae septem convocavit: "Filiolae," inquit "me absente lupum cavete! Furcifer is enim persaepe amicum simulat. Vos sane bestiam impuram voce aspera pedibusque nigris agnoscere poteritis." Haediliae: "Matercula," inquiunt "noli timere! A bestia ista bene cavebimus." Et capra vetus modo caprino ridens in viam se dedit. Paulo post quispiam ianuam pulsat clamans: "Heus, carissimae, aperite ianuam, mater vestra adest vobisque pabulum optimum affert." Sed haediliae vocem asperam lupi agnoscent: "Ianuam certe non aperiemus," inquiunt "matri nostrae enim vox suavis est. Tu vero lupus es." Tum bestia callida celeriter ad tabernam se confert ad cretam emendam. Creta enim voces asperae suaviores fiunt. Paulo post lupus iterum casae ianuam pulsat iterumque matrem haediliarum simulans: "Aperite ianuam, filiolae," inquit "vobis cibum delicatissimum apporto." Sed pes niger lupi in fenestra ab haediliis conspicitur. "A te non fallimur," inquiunt "mater nostra enim pedem nigrum non habet." Tum lupus pistorem adit: "Operi" inquit "pedem hunc farina alba!" Et pistor metu adductus lupi voluntati cedit. Bestia improba rursus ianuam pulsat et haediliae, cum pedem candidum vident, per errorem lupum pro matre ducunt et ianuam aperiunt. Vae miseris! Lupus statim sex haediliae devorat, septimam autem reperire non potest, nam filia caprae minima natu in orologii armario latet.... Fame expletus lupus in prato ante casam sito quieti se dat. Paulo post capra vetus e silva redit. Ianuam apertam quidem videt, haediliae autem

nusquam conspicere potest. "Heu me miseram," inquit "omnes filiae mihi a lupo ereptae sunt." Et multum flens mater infelicissima casam totam percurrentes filias nomine vocat. Subito vocem filiae minimae natu audit: "Hic sum, maternula, in orologii armario!" Et capra statim filiolam suam ex armario promit. Multa oscula ei dat semper lacrimans. Haedilia autem matrem de lupi dolo crudelitateque certiore facit. Tum capra cum filiola in pratum se confert. Ecce lupum scelestum! Gravi somno captus sub arbore iacet. Venter lupi sane haediliis impletus vehementer se movet. Tum capra spe incitata: "Fortasse" inquit "filiae meae nondum mortuae sunt." Et haedilia septima iussu matris in casam properat celeriterque matri cultrum tonsorium, acum filumque apportat. Mater etiam celerius lupi ventrem cultro aperit. Ecce omnes haediliae sanae salvaeque e lupi ventre exsiliunt, nam bestia rapax tanta cupiditate mota haedilias totas devoraverat. Mater nunc autem gaudio magno lacrimas effundens brachia sua collis filiarum circumdat tum: "Ventrem bestiae scelestae lapidibus implebimus." Et haediliae magna cum celeritate lapides graves appортant, quibus ventrem lupi implent. Tum capra acum filumque velociter diligenterque adhibens lupi ventrem claudit. Lupus vero somno altissimo oppressus nihil sentit. Paucis horis post bestia magna siti e somno excitatur et ad puteum se confert. Cum autem aquam petens caput in puteum inclinet, lapidum onere in profundum praecipitatur et misere deperit. Tum capra haediliaeque gaudiis elatae puteum circumsiliunt iterum atque iterum clamantes: "Ehoe, lupus mortuus est, ehoe, vicimus!"

Fabula, quam supra legistis, cari amici, originem dicit ex operibus clarissimis fratrum Grimm Germanice compositis.


Barbara Maier



## *Aeneas quomodo a pictoribus vasorum Graecis pictus sit*

Antiquissima vasa Graeca imagine Aeneae herois ornata armatum eum hasta et clipeo et galea cum optimis adversariis Graecis certantem monstrant. Sed Aeneas cognosci non posset, nisi inscriptio nominis eius addita esset AINEAS. Cuius generis imagines per omnem sextum a.Chr.n. saeculum pingebantur. Cum versibus Iliadis Z, LXXVII. et sequentibus congruunt: Constat Aeneam et Hectorem optimos duces Troianorum fuisse. Itaque nonnumquam ut socii - Aeneas post Hectorem esse solet - picti sunt.

Postea, id est a medio sexto usque ad medium quartum a.Chr.n. saeculum, Aeneas etiam secundum Iliadis E a Diomede vulneratus et a matre sua Venere adiutus, vir male fortis, nonnullis in vasorum imaginibus collapsus appetat.



In cylice Olti (Kopenhagen 520-10 a.Chr.n.) Aeneas sine vestibus ut egens auxilio pictus est.

Eisdem annis et postea etiam cum familia sua e Troia capta fugiens, sicut in Iliu Perside cycli epici et in libro secundo Aeneidis Vergili scriptum recitatumve erat, persaepe a pictoribus aliisque artificibus Graecis, Etruscis, Romanis pingebatur aut fingebatur. Plerumque Aeneas patrem suum Anchisam fulmine Iovis debilitatum - quia evulgaverat Anchises Venerem matrem Aeneae esse, quod Venus vetuerat - umeris portans videri potest. XXVIII. autem metopa septentrionali Parthenonis Athenarum Anchises visitatoribus post filium suum ingrediens caecus modo fulmine factus monstrabatur.



Quinto denique a.Chr.n. saeculo nonnulli pictores vasorum Graeci initium belli Troiani commemorantes Aeneam etiam Paridem Spartam comitantem (Helenae rapiendae causa) pinxerunt. Cur "pius Aeneas" una cum Paride profectus est? Quia mater eius Venus sic voluit, sic iussit, quae iudicio Paridis pucherrima dearum declarata erat.

Sibylla Schuler

## Litterae ad editores

Udalrico Aeschlimann ceterisque "Rumoris Varii" moderatoribus s.p.d.

Olim apud antiquos Romanos poetarum bonaeque linguae cultorum patronus fuit Maecenas. Nunc apud Helvetios hodiernos "Rumoris Varii" moderatores iure dici possunt novi Maecenates, quippe qui Latinae linguae scriptoribus dona sua liberaliter distribuant:

His verbis significare, ut liquet, voluimus nos nummos pro scriptis nostris a vobis liberaliter missos accepisse et vobis gratias agere quam maximas. Atque ut Vergilius Horatiusve, ut Maecenati gratias redderent, nihil aliud obferebant nisi nova scripta, sic nos (etsi videlicet Maronis Flaccive Musae nobis non favent, sed humiles sumus) aliquid iterum vobis mittimus, si forte hoc quoque vobis placeat edere. Atque, ut genus scribendi variemus, nunc ludos aenigmatiscos vobis proponimus duorum generum:

### PRIMUM LUDORUM GENUS: AENIGMATA

- I) Os habet, non habet pedes; tamen os habens non edit; pedes non habens currit: Quid est?
- II) Quis habet pedes in capite?
- III) Quae unum crus et multos oculos habet?
- IV) Manus habent etsi neque homines nec simiae sunt; quisque unam manum habet, etsi manci non sunt: Qui sunt?

### ALTERUM LUDORUM GENUS: LUDUS RATIONALIS

Hoc ludorum genus creavit Aloysius Carroll ille qui librum "Alexia in miraculorum terra" inscriptum fecit. In hoc ludo varia proponuntur, quae ita lectori coniungenda sunt ut dicere possit: "Si totum A est B et si totum B est C, inde possumus colligere totum A esse C."

- I) Ex his quattuor propositis conclude cuius vel quorum libellos Caecilia non legerit:

# Facete lepideque dicta

- 1) Omnes Claudi libri Latine scripti sunt.
- 2) Omnes Marci libri taediosi sunt.
- 3) Nullus liber Latine scriptus taediosus est.
- 4) Caecilia Ciceronis opera solum legit.

II) Ecce tibi quinque proposita; postea selige inter tres conclusiones eam quae iusta est:

- 1) Nullus servus tonsus animum servilem habet.
- 2) Si qui servus cerevisiam praefert vino, is sine dubio verna est.
- 3) Nonnulli inter Marci servos sunt tonsi.
- 4) Nullus verna est qui animum servilem non habeat.
- 5) Nullus servus, qui res athleticas odit, vinum praefert cerevisiae.

Unam ex his conclusionibus selige:

- 1) Marci servi res athleticas oderunt.
- 2) Omnes Marci servi res athleticas amant.
- 3) Nonnulli Marci servi res athleticas amant.

Responsa:

AENIGMATA:

I flumen; II homo sordidus, qui, cum capillos parum colat, pediculosus est; III arbor; IV elephanti.


LUDI RATIONALES:

I Caecilia Marci libros non legit. II Conclusio tertia recta est.

Etiam etiamque valete!

Dabamus Pali, die XX<sup>o</sup> mensis Ianuarii anno MCMLXXXVII<sup>o</sup>.

Genovefa et Antoninus Immè



## Nostrae aetatis condemnatio

Duo viri inter se disputant.

Primus: "Nuper filius meus ex me quaesivit, quid facerem, dum revolutio sexualis dencennii sexagesimi maneret."

Alter: "En tu autem, quid illi respondisti?"

Primus: "Filio verum dixi: Brevi tempore captivus factus condemnatus sum, ut usque ad extremum diem discos (Teller) pocillaque (Tassen) luerem.

\* \* \* \* \*

## Autoraeda moderna

Vicus (Nachbar) vicino "Audivi" inquit "te autoraeada tua moleste ferre." - "Profecto," alter respondit, "novum gasificatrum (Vergaser) emi, quo 30 % benzini (Benzin) servetur; novas rotas, quibus 40 % benzini servetur; novas candelas accensivas (Zündkerze), quibus 40 % benzini servetur." - "En, quid efficerunt hae res novae?" - "Postquam sexaginata chiliometra vectus eram benzinum respuit!"

Udalricus Aeschlimann

# Aenigma

- 1) sagittis cuiusdam dei vulneratus/a sit
- 2) regulae (Gen.)
- 3) consumam
- 4) metue



1	2	3	4
2			
3			
4			

# SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi,  
qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium


Markus Reber  
Bergstr. 8  
4500 Solothurn

secundum praemium

Max Müller  
Zürcherstr. 10  
4143 Dornach

tertium praemium

Bernhard Christen  
Alleestr. 3  
8590 Romanshorn




His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur!  
Praemia, quae sunt liber (primum praemium), libellus  
(secundum et tertium praemium), eis mox mittentur.

Domus editoria  
Rumoris Varii



*De pompa militari maiore Berolini in urbe  
locum habente*

Omni autem die Mercurii omnibusque diebus festis Berolini in urbe, in sectore orientali, maior locum habet pompa militaris. - Agitur enim de mutatione seu vicibus militum excubitorum stationis in via, quae "Sub Tiliis" (Germanice: Unter den Linden) dicitur, sitae, quae olim statio excubitorum regia et statio nova (Germanice: Königliche und Neue Wache) dicta est, a Carolo Friderico Schinkel(io) (1781-1841) anno 1817<sup>o</sup> et 1818<sup>o</sup> aedificata, anno autem 1931<sup>o</sup> ab architecto Henrico Tessenow(io) (1876-1950) commutata et ab eo tempore "Monumetum in honorem occisorum belli" nominata. Tempore ante bellum mundanum seu panoctium I<sup>m</sup> ante stationem, quae eo tempore statio nova dicitur, excubaverunt milites excubidores exercitus regius Borussici.



Berolini in urbe - Statio Nova in Via Strata Sub Tiliis.  
Pompa militaris anno fere 1900<sup>o</sup> (Exercitus regius Borussicus)

Ab anno 1919<sup>o</sup> excubidores militiae imperialis (Germanice: Reichswehr) excubaverunt, ab anno 1935<sup>o</sup> excubidores Copiarum Germanicarum (Germanice: Deutsche Wehrmacht) excubaverunt. Ab anno autem 1962<sup>o</sup> excubare hoc loco solent milites

Alt-Berlin - Aufzählen der Wache vor dem Ehrenmal



Berolini in urbe - Via Strata Sub Tiliis. Pompa militaris maior ante Monumentum in honorem occisorum belli anno fere 1931<sup>o</sup> (Militia imperialis)

excubidores exercitus nationalis popularis Reipublicae Germanicae Democraticae (vulgo Germanice: Nationale Volksarmee der DDR).

Ante hanc excubitorum stationem - hodie "Monumentum seu Cenotaphium admonitorum memoriae in bellis mundanis seu panoctoniis I<sup>o</sup> et II<sup>o</sup> atque in pugnis contra dictaturam Hitlerianam occisorum dicatum" (vulgo Germanice: Mahnmal für die Opfer des Faschismus und Militarismus) - semper duo excubidores stationem honoris causa agere solent. Omni autem die Mercurii omnibusque diebus festis hora XIV<sup>a</sup> et dimidia milites excubidores maiore pompa militari tubis accinenibus tympanisque pulsantibus in stationem succedunt.



Berolini in Urbe Orientali - Via Strata Sub Tiliis anno fere 1985<sup>o</sup>. Mutatio stationum (Exercitus nationalis popularis R.G.D)

Custodiae disponuntur a cohorte excubitorum praetoria cui nomen "Cohors praetoria militum excubitorum Friderici Engels" (vulgo Germanice: Wachtregiment Friedrich Engels) exercitus nationalis popularis, quae castra habet in via strata Iohannis atque Sophiae Scholl (Geschwister-Scholl-Strasse), quondam via strata principis Friderici Caroli Nicolai (Germanice: Prinz-Friedrich-Karl-Strasse, princeps Borussus Fridericus Carolus Nicolaus ab anno 1818 usque ad annum 1885<sup>m</sup> vixit). Olim usque ad annum 1918<sup>m</sup> hic castra stativa habuerat regimentum praetorium granatariorum Alexandri I<sup>o</sup> Russiae (Germanice: Kaiser Alexander I. von Russland Garde - Grenadier - Regiment). Bello autem mundano seu panoctonio I<sup>o</sup> confecto inter annos 1919<sup>m</sup> et 1933<sup>m</sup> hoc loco castra habuerat stativa Cohors Urbana securitatis publicae Borussica (vulgo Germanice: Preussische Sicherheitspolizei).

Milites autem cohortis excubitorum praetoriae casside chalybeia induiti accurate hora XIV<sup>a</sup> in castris stativis in ordinem eunt, signa movent vexillaque proferunt atque centurione gladio destricto pectoreque insignibus permultis phalerato ducente ad stationem proficiscuntur. Hora autem XIV<sup>a</sup> et dimidia cohors excubitorum praetoria ad classicum signum tympanis pulsantibus tubisque accinentibus accurate advenire solet et locum monumenti seu cenotaphii admonitorii nanciscitur. Primo statim adventu cohors praetoria honores occisis bellorum mundanorum seu pancosmiorum dictaturaueque Hitlerianae tribuit.

Cohors autem praetoria excubitorum tympanistarum manipulum, cornicinum tubicinumque manipulum atque militum excubitorum propriorum centuriam continet. Tympanistarum autem manipulo tympanista maior (Germanice: Tambourmajor), cornicinum tubicinumque manipulo magister seu praefectus seu syntonarius musicus (Germanice: Musikmeister) atque duabus excubitorum propriorum duo succenturiones seu locumtenentes gladio accincti praesunt.

Centurio autem cohortis excubitorum praetoriae gladio destricto signa consistere militesque excubitores excubias mutare iubet. Iussa autem deinceps ante aciem ab eo data scilicet sunt haec:

Pompa militaris excubitorum maior - consistite!	Grosser Wachaufzug - Halt!
Sinistrorum circumvertite!	Links - um!
Arma - deponite!	Gewehr - ab!
Movete - vos!	Röhrt - euch!
Subsistite!	Stillgestanden!
Dirigite - vos!	Richt - euch!
Oculos in rectum!	Augen - geradeaus!
Arma - sumite!	Das Gewehr - über!
Convocatio!	Vergatterung!

Nunc tympanistae tympanum pulsant atque centurio excubias in stationem succidentes procedere iubet.

Excubitores gradu pompatico - Wachen im Exerzierschritt-marsch!

In stationem succedite! Ablösung vor!

Nunc gradu pompatico excubitores in stationem succedunt custodesque inter semetipsos mutant.



Mutatio seu Vices stationum. Milites excubitores in stationem succidentes

Convocatione mutationeque militum excubitorum feliciter peractis observantia debita propalam ostenditur occisis bellorum tyrannidisque Hitlerianae.

In honorem fascismi  
atque militarismi agite -  
praesentate arma!

Zur Ehrung der Opfer des  
Faschismus und Militarismus,  
Achtung, präsentiert das  
Gewehr!

Tum praefectus musicus tympanistaque maior manipulum tympanistarum manipulumque tubicinum hunc coepisse cantum iubent de quo accuratius separatimque insuper etiam referam.

"Frates, ad solem, ad libertatem...."

Tum custodibus mutatis centurio cohorti praetoriae excubitorum iussa dat haec:

Arma - deponite!

Arma - sumite!

Dexstrorum circumvertite!

Aequo passu pergit!

Gewehr - ab!

Das Gewehr - über!

Rechts - um!

Im Gleichschritt - marsch!

Tum cohors praetoria convertitur atque gradu pompatico monumentum seu cenotaphium admonitorium centuriatim a centurione cohortis - gladio destricto - circumducitur.

Pompa autem militari maiore incredibili exactaque diligenta feliciter peracta cohors excubitorum praetoria tympanis pulsantibus tubisque "taratantara" canore accinentibus ad castra stativa a centurione reducitur. Tandem centurio ultima dat iussa, quae sunt haec:

Cohors praetoria - consistite! Wachaufzug - halt!

Sinistrorum circumvertite! Links - um!

Arma - deponite! Gewehr - ab!

Secedite! Weggetreten!

Quibus rebus gestis cohorteque excubitorum praetoria tandem in castra stativa dimissa pompa militaris maior peracta est.

Ut iam supra commemoravimus pompa militaris maior proprie omni die Mercurii omnibusque diebus festis adhibetur seu locum habet, omnibus autem diebus profestis seu negotiosis solum pompa militaris minor ducitur, id est centuria excubitorum priorum sine manipulis tympanistarum cornicinumque tubicinumque.

Pompa autem militaris maior semper est spectaculum laetissimum, quod attrahit allecitque permultos spectatores multasque spectatrices, inter eos easque etiam milites masculos militesque feminas potestatum occidentalium, id est Americanorum, Angliorum et Francogallorum Berolini in urbe occidentali castra stativa habentium.

AMICUS

SS BB

SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO  
DATVM ALICVI  
Factura subnotationis mitten-  
da est ad adressam infra  
stantem.  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für  
mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
8050 Zürich


Datum und Unterschrift

AZ

8050 Zürich

1 + 2 / 87

IDIBVS FEBRVARIS  
MCMLXXXVII



RUMOR VARIVS



TOMUS 10

FASC. 63